

sunt aliae extrinsecæ, aliae intrinsecæ. Privativæ sunt infinitum & vacuum. Privativæ vocantur eò, qvod earum privativa sit consideratio seu cognitio. Indirectè de iis in Physicis doceatur, partim ut melius constet de affectionibus positivis, si ad has privativas conferantur, partim ut falsitas harum affectionum detegatur. Verum cum infinitum ipsis sit, cujus quantitas nullos agnoscit terminos; Vacuum, spatum omni carens corpore; at verò omne corpus seu magnum seu parvum suos habeat terminos, vacuum etiam omne repletum corpore; infinitum in physicis purum putum non-ens est: vacuum verò cerebri vacui & ingenii inanis, ceu loqui amat B. Sperling. in Instit. suis p. 318. quem vide sis. Nec quies definitur rectè, qvod sit privatio motū in subjecto ad eum recipiendum idoneo l. 5. Phys. c. 6, cum quies detur, ubi nullus unquam motus adesse debuit, coeli puta & terræ. Quid? qvod ea motui non privative, sed contrariè opponatur, ac fixam & stabilem in eodem loco permanentiam notet.

### Tertium.

### Affectiones corporis Naturalis de hoc dicuntur reciproce.

Sunt enim accidentia corporis naturalis propria, hujus naturam inseqventia. Unde non tantum in affectionibus unitis inferimus, Omne corpus naturale est quantum, & omnne quantum est corpus naturale: Omne corpus naturale est in loco, & quicquid est in loco, illud est corpus naturale, & sic porrò; sed etiam in disjunctis, Omne corpus naturale vel motum habet vel quietem, Et, Quicquid non habet motum vel quietem, illud non est corpus naturale. Mensæ verò, scanno, aliisq; artificialibus competere cum videntur, deutēas competunt, non περτως. Distincta enim est res naturæ à re artis. Radii verò si quanti dicantur, ipsis attribui nullo modo potest quantitas realis & materialis, sed tantum intentionalis & specialis, quo de alibi.

תְּנִזְנֵן